DE

HYPOCHONDRIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XI. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Ludovicus Löwenberg

UCROMARCHUS.

OPPONENTIBUS.

F. ANDERSSEN, med. et chir. Dr.

C. SALPIUS, med. et chir. DD.

E. HOLZMANN, jur. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRUO

D I L E C T I S S I M O

DE SE OPTIME MERITO

S. NATHAN ASCHER,

URBI PRIMISLAVIAE, A CONSILIIS

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum sit lex vetustissima, ut, qui summos in medicina et chirurgia honores aggrediantur, dissertationem quandam conscribant, diu haesitavi, quamnam materiam elaborandam mihi sumerem. Quoniam vero libentissimo animo semper in eo morborum genere versatus sim, quo simul cum corpore animus afficitur, finesque inter utramque illam organismi provinciam quasi tolluntur, malum hypochondriacum, potissimum hic referendum, mihi tractandum elegi. Neque tamen me fugit, quibuscum difficultatibus mihi, tironi tantum in medicinae studio, esset pugnandum, quum experientia, in aegrotorum lectulis collecta, non edoctus, id tantum in opusculo meo componere possem, quod et ipse ex viris illustrissimis doctissimisque audivi et ex scriptis eorum animo meo involvi. Sin vero rem susceptam lectoribus, imprimis collegis meis, aetate et propterea experientia me valde superantibus, non apte tractasse videor, benevoli mihi indulgeant temporisque

sint memores, quo ipsi tale opusculum in lucem proferre cogebantur. Quodsi igitur haec dissertatio non ea, qua nova et rectiora quaedam afferam, existimetur, sed conamen tantum tironis, quo juveniles vires exhibeat, tum laeto animo exclamabo:

Oleum et operam minime perdidi.

DEFINITIO.

Hypochondria, seu malum Hypochondriacum, quo nomine jam Galeno reliquisque viris, qui in antiquitate medicinae studio incubuerunt, hunc valetudinis statum notum fuisse scimus, est morbus chronicus, qui praecipue viros corripit et in cerebro et systemate nervoso praeprimis apparet. Ante omnia vero abdominis nervi seu systema gangliosum afficitur, et ita quidem, ut sensibilitas ejus perverse adaucta, vis vero functionum explendarum seu energia imminuta esse videatur. Huc accedit, quod connexus hujus vegetativae nervorum provinciae cum cerebro nervisque inde originem trahentibus, qui functionibus animalibus sensibilitati et motui praesunt, ita turbatur, ut sensus ad sensorium commune afferantur, qui alias minime eo perveniunt, tunc autem nervis ad alia organa, quae pertingere non debent, conducantur. Quum vero ipsa gangliorum functio suppressa sit, ex hoc statu multa viscerum abdominalium vitia oriantur, necesse est.

SYMPTOMATOLOGIA.

Hypochondria in medio sita est inter morbos corporis atque animi et melancholiae quodammodo similis est. Imaginem vero perfectam hujus morbi proferre difficillimum esse opus nemo negabit, quum morbus, Proteo mutabilior, symptomatibus maxime diversis est insignis, ita ut explanationem completam hujus mali edituro, tota fere pathologia describenda sit. Attamen praecipuorum nonnulla exhibere conabor.

Hominem plerumque post tricesimum aetatis annum, interdum etiam mox post pubertatem corripit hoc malum. Systema sensibile quum maximi sit momenti in corpore nostro, hoc in morbo praeter alios mox systema reproductionis excitat, ita ut, quum signum sit proprium hujus mali ut aegroti in mitiori hypochondriae statu aut cruciatibus valde diversis, ex sola nervorum intemperie originem trahentibus, sese laborare, aut exiguas corporis affectiones omnino valde adauctas esse sentiant, paulatim tota corporis functionem series a norma sua deflexa, in sympathiam vocetur. Hoc modo symptomata mixta oriuntur, ita ut signa nervosa non semper evidentia observentur.

Attamen omnino duplex mihi symptomatum series internoscenda videtur, statuendumque discrimen inter signa pathognomonica hujus morbi, quae ad alienatam animi agitationem sint revocanda, et quae ex laesa quadam organorum functione fontem trahant. Quod ad signa, quae ad aegrotorum animum spectant, sensorium commune continuo ideis, quae ad valetudinem pertinent, exagitatur.

Omnes morbi, de quibus legunt, aut qui prope grassantur, terrorem iis injiciunt, ne inficiantur. Levissima valetudinis mutatione, uti tussicula aut cordis palpitatione quadam, tantillo sanguinis in faecibus aut sputis mortem sibi imminere persuasi, statim medicum arcessunt. Maculis obversantibus oculis, amaurosin, ex minima pustula ulcus cancrosum augurantur, flatibus, sin interdum vexantur, saxis impletum esse abdomen credunt. Modo ex levi dolore in latere dextro hepar induratum esse putant, modo pectoris quodam dolore pulmonum inflammatione gravissima sese jam correptos esse censent, modo capitis aliqua graviditate ne apoplexia intereant, timent. Ita animus, quum attentio magis in statum organismi subjectivum sit fixa, fit suspicax, pericula timens, inquietus, inde mox tristitia, fletus, mox oppositi variant affectus in hypochondriacis. Hodie hilares, cras tristes, nunc benevoli, misericordes, grati, liberales, nunc pessimum suspicientes, ingrati, avari, modo garrulitas, modo morosum silentium. Nullius laboris patientia; somnus, phantasmatibus et imaginibus horridis interruptus, expergefactis magnam relinquit lassitudinem. Interdum memoria perit, ita ut aegroti ne nominis quidem sint memores. Loquentibus, imo precibus Deum adeuntibus, non raro res ridiculae veniunt in mentem et interdum instinctu perverso ad actiones ineptas impulsi, vix ab his arceri possunt. Aegri amant sollicitudinem, ubi exacte quamlibet pulsus aliarumque functionum minimam mutationem perscrutantur. In morbis, quos sibi fingunt, quamquam complurium medicorum consilium simul anxie expetunt, tamen eorum praeceptis minime sufficientes, de morbi natura cum omnibus pertinacissimo animo disputant neminemque ipsorum malum recte

cognoscere credunt. Imo vero ex omnibus reliquis, quibuscum conveniunt, hominibus consilia de morbo suo orant; magna credulitate illorum opiniones saepe absurdissimas mente concipiunt variaque remedia et arcana ex aliis quondam audita, vel libris medicinalibus lectis deprompta, in usum trahunt. Eadem cum anxia cura moribus suis colendis attenti sunt, et dum, ne in peccata mortalium incidant, semper reverentur, saepissime facta priora cogitationesque a prima pueritia in animum revocantes, maxima sese scelera voluisse credunt.

Quae omnia eo nascuntur fonte, ut sui ipsius amor in hypochondriaco ad summum fastigium evehatur; quare semper ad statum corporis mentem attendit, de mórbo suo meditatur, omniaque ad se refert. Itaque nihil pulchri magnique naturae miserum delectat, neque gaudio ullo exhilaratum eum vides. Attamen, quamquam summo vitae taedio correptus esse videtur aegrotus, mortem maxime timet. Cujus sola cogitatione summo horrore et tremulatione quasi perculsi mala omnia, uti Andralii, celeberrimi illius Francogallorum medici sententia, ex studio illo vitae servandae derivanda sunt. Ita fieri potest, ut sensationibus tantum morbosis animo ablatis, variae corporis partes, in quibus praecipue hypochondriaci mali sedem esse putant, magis magisque secundarie aegrotent.

Nunc ad alteram signorum seriem progrediamur, qua alienationes functionum corporis ad signa illa pathognomonica, quae antea descripta sunt, accedunt. Quaeque enim trium partium, in quas omnes corporis nostri functiones dividuntur, morbose tangi potest. Sunt vero singulae hae partes systema reproductivum, systema irritabile, et nervosum. Systema reproductivum, seu organa

concoctionis et assimilationis, imprimis mali focum esse constat, in iisque nasci vitia, quae partim ad vim eorum vitalem, partim ad structuram et chemicam mixtionem secretionum et excretionum ibi fontem habentium pertinent. Quod ad digestionem dyspepsiam signum pathognomonicum habemus constantissimum. Post coenam aegroti male se habent; appetitus aut nullus aut nimius, sapor metallicus cum sensu adstringente in lingua, nunc dulcis, jejunus, nunc amarus et acidus, lingua muco albo, flavido plurimum tecta. Morosissime stomachantur miseri, flatus miserias iis ponunt innumerabiles; alvi dejectiones irregulares, excrementa vel dura vel globosa vel fluida atque mucosa. Abdominis intumescentiae molestissimae adsunt, unde anxietas, inquietudo, dyspnoea magna, tormina ventris, collectiones muci, quae pyrosin, nauseam, immo vomituritionem excitant, donec per os evomuntur. Quo non raro indurationes infarctusque exoriuntur, quae pressa dolent medicoque imperito inflammationis fidem afferre possunt. Ex his intumescentiis intolerabilis pruritus ad remotissimas corporis partes praecipue ad caput, circa oculos et in regione temporum nasci solet. Interdum magni ponderis sensationem proferunt intumescentiae, modo profundo, modo sub ipsa cute et in finibus externis, ut, si manui exploranti fides est habenda, concludendum sit, hanc materiam, quae tumores gignit formaque gasis gaudet, extra tractum cibarium versari. Observatio, qua hanc sententiam confirmatam videmus, est frequentissima. Ascendit enim hoc gas ad superiorem saepius partem scapulae, ibidemque intumescentiae digito observatae prodeunt; nec vehementissimis quidem drasticis cedit. Alvus saepissime obstructa, sed interdum diarrhoea adest; de-

jectiones globosae, tenuissimae, fere filiformes, tenaces nigrae, foetidae, striis cruentis mucoque obductae inveniuntur. Saepe in regionibus abdominis nonnullis pulsationes tum vehementes, ut aneurysma adesse putares.

Quod ad secretiones, saliva et qualitate et quantitate mutatur, modo parca modo copiosa; haud raro ejicitur sapore proprio. Tantam saepe muci copiam exspuunt hypochondriaci, sapore salino praeditam tenacissimamque, ut signum pathognomonicum inde praeberi videatur. In urinae secretione non minus alienationes observantur, quas Sydenhamus magni momenti ad formandam diagnosin censuit. Qua de re ejus verbis hic uti mihi liceat:

„Inter omnia vero, quae in hoc morbo compareut „phaenomena, illud maxime proprium est, atque ab „eo fere inseparabile, quod scilicet aegri urinam sub„inde reddant plane limpidam adinstar aquae ex ru„pibus scaturientis idque satis copiose, quod quidem „ego sigillatim percontando in omnibus fere didici „signum esse pathognomonicum eorum affectuum, „quos in feminis hystericos, in maribus hypochon„driacos appellandos censemus.“

Tunc cutis vel sicca, frigida et spasmo quasi contracta est, vel, praecipue in his regionibus ubi tumores versantur, aestatis tempore calida et sudore glutinoso acidoque tecta. Saepe pruritu et ardore in ea vexatur aeger, nec raro exanthemata miliaribus similia efflorescunt.

Systema quoque irritabile haud minus turbatum videmus. In pulsu magna observatur mutatio, qui mox celer, mox tardus, saepe irregularis et intermittens occurrit. Nec raro respiratio abnormis, anxia et difficilis, ita ut aegrotus pneumonia laborare videatur. Etiam

congestiones ad caput aliasque partes non desiderantur.

Systema vero nervosum longe plurima symptomata exhibet. Sensibilitas, ut est nimis excitata, ejusque irritatio, ut quasi sustinetur, ita facultas reagendi systematis nervorum abdominalium antagonismi lege extinguitur. Lassitudo viriumque confectio exoriuntur, omnibusque corporis exercitationibus, sin ad eas coguntur aegroti, se defatigatos queruntur. Proclivitas maxima ad spasmos; dysphagia, cardialgia spasmodica cum dolore ardente et punctorio in uno alterove aut utroque hypochondrico, quem saepe palpitatio cordis tantaque pectoris oppressio aut asthma spasticum sequitur, ut aeger periculum suffocationis experiatur. Tremor artuum, occlusa spasmis alvus. Interdum ipsa ad paralysin appropinquatio, quae in palpebris saepe animadvertitur. Hypochondriaci aliquando ictibus quasi electricis e somno excitantur.

Dolores in variis corporis partibus, praecipue in capite graves, unde hemicrania, aut dolor in loco uno fixus (clavus hypochondriacus) aut cephalalgia totalis. Accedit porro vertigo et obnubilatio, quae cum prioribus signis alternant. Plurimum sensus quoque turbantur. Visus maxime laborat. Multi vident, quum simul in oculis aut dolore et molesta inprimis siccitate, aut perpetuis lacrimis vexentur, nubeculas, scintillas, maculas ante oculos versantes; alii diplopia, alii mira pseudipia profligantur, ita ut res maxime cognitae aliae videantur. Cujus rei ut exemplum afferam, multi membra sua, uti manus et pedes, modo solito longe minora, modo majora existimant. Olfactus non raro sagacitate nimia a statu normali recedens, modo etiam paene sublatus, modo idiosyncrasia magna

insignis. Auditus haud minus affectus; susurrus strepitusque ante aures nimia sensibilitate laborantes. Tactus interdum auctus aut mutatus ita quidem; ut eaedem res eodemque modo tactae aliae videantur, sensus caloris fugacis cum horripilationibus in variis corporis partibus alternantes. In superficie corporis modo haec modo illa membra pruritus et formicatio molesta occupat. Functiones genitalium etiam vario modo mutantur. Aut omnino mulieres contemnit hypochondriacus, aut nimia coitus exercendi cupiditate flagrat.

Singularum vero provinciarum corporis functionibus turbatis, omnino fieri non potest, quin coenaesthesis quoque sive sensus communis afficiatur. Quamdiu enim phantasia et mens aegroti turbationibus carent, nec a norma recedunt functiones organismi, perversae coenaestheseos perceptiones mente et ratione corriguntur. Sin vero nervorum intemperie morbus exoritur, quo consensio functionum vitalium organismi causis vel internis vel externis turbatur et mente ipsa vanae de statu valetudinario perceptiones et imagines pro veris agnoscuntur, omnino fieri non potest, quin coenaestheseos, tunc dysphoriae varios sensus propagantis, affectus perceptionesque irregulares sensibus suscipiantur. Quibus igitur cum perversis de statu valetudinario ideis completis itaque a normali ratione abalienatis, facile cognosci potest, cur hypochondriaci omnino omnes cruciatus, de quibus, ut supra diximus, queruntur, etiam sentiant.

DECURSUS MORBI.

In decursu hypochondriae maximae sese offerunt diffe-

rentiae. Quamquam enim plurimum diuturnus est morbus, tamen saepe bis per annum vere et inprimis autumno paroxysmum efficit. Sic saepe remittens, imo interdum intermittens, certum typum sequi videtur. Nec raro, causis durantibus, aut si fortasse novae injuriae, nonnunquam leviores tantum, maxime vero affectiones animi, refrigeratio vitiaque diaetetica in corpore vim exerceant, subito recrudescit. Paroxysmi modo sudore modo diarrhoea mucosa, biliosa, non raro haemorrhoidum fluxu, urina crassa, flatibus, sputisque mucosis solvuntur. Saepius enim molimina haemorrhoidalia inprimis haemorrhoides mucosae, morbum sequentes observantur, vel athritidis signa simul apparent. Nunc habitus quoque externus aegroti mutatur; corpus saepissime male nutritum, physiognomia diffida et melancholica, color faciei ut plurimum pallidus et luridus, oculi, circulo livido cincti, timidi et meticuli circumferuntur, laxitas atque debilitas summa in corpore omni energia privato et modo collapso, modo sin causae materiales subsunt, pastoso et oedematoso. Sic morbus non raro a pubertate usque ad quadragesimum aetatis annum castigat victimas miseras et, quod maxime est lugendum, aegrotis optimum agendi atque fruendi tempus in tartarum dirum invertit. Tandem causis sublatis vel minutis, aut decrescit morbus, quod omnino provectiori aegrotorum aetate fieri solet, aut in alios morbos, haemorrhoides imprimis et arthritidem, quibuscum antea alternans saepe videmus malum, transit. Sin vero non cedit, sed ad summum miseriae fastigium tollitur morbi vehementia, cachexiae diversissimae inde oriuntur; hydrops, obstructiones pertinacissimae, indurationes scirrhique viscerum, febris hectica, catarrhus suffocativus, apoplexia, asthma convul-

sivum et, quod saepissime, melancholia et mania imo totius mentis perturbationes insanabiles tristem scenam finiunt. Neque tamen hic finis maxime est terribilis, quo in perpetuum mens est turbata. At non raro status ille sane miserrimus sequitur, in quo aeger interdum, quasi fulmine ictus, mentis abalienationes cognoscens et a statu suo tristi abhorrens invenitur et, omni vero studio errorum dimittendorum impotens, sese summum bonum animi libertatem amisisse animadvertit. Saepe tunc aegroti manum sibi inferre conantur et sic vitam infelicissimam trahunt, donec morte a miseriis solvantur.

DIVISIONES MORBI.

Prout reliqui morbi sic et hypochondria vario modo dividi potest. Attamen a plurimis medicis in hypochondriam cum et sine materia dispartitur. Primum genus, quod ex sola systematis nervosi intemperie originem trahit, malum dynamicum et vagum est, alterum vero, cui organica quaedam praesertim abdominalium viscerum vitia subsunt, simul causam materialem cum hac nimia nervorum sensibilitate et irritabilitate junctam supponit. Attamen novissimis temporibus nonnulli medici hanc divisionem vetustissimam refutandam esse censuerant. Quorum in numero celeberrimus est Broussais, qui, ut omnibus in morbis ventriculum sedem esse primariam affectionis argumentatus est, sic in hypochondria semper affectiones adesse morbosas ventriculi demonstravit. Falsam vero esse hanc opinionem experientia satis edocuit, quia saepe in obductionibus hypochondriacorum omnino nihil insignis

in ventriculi structura et organisatione inventum est, quo hunc simul morbo correptum fuisse eluceret. Sed ipsam hypochondriam sine materia in illam cum materia per longiorem morbi decursum transire posse, facile perspicitur. Sub tanto enim erethismo atque debilitate nervosa organismus perdiu persistere nequit, quin etiam laesiones aliarum functionum exoriantur.

Aliae praeterea divisiones ut in malum typicum et atypicum, in hypochondriam simplicem seu spasmodicam et humoralem, in hypochondriam incipientem et plane evolutam, uti prioribus temporibus factae sunt, minimi momenti existimandae et omnino rejiciendae sunt.

OBDUCTIONES.

In cadaverum sectionibus eorum, qui hypochondria laboraverant, non semper inveniuntur vitia organica. Interdum tamen sectione hae organorum abnormitates conspectae sunt. Membranae atque velamina cerebri ossificata, vasa dilatata, turgida, cor et pulmones contracti, pericardium aqua repletum et arteriarum pectoris dilatationes aneurysmaticae. Longe frequentius viscera abdominis vitiis fuerunt insignia, uti ventriculus et reliquae partes tractus intestinalis inflatae et simul cum pancreate, hepate et liene induratae; hepatis praeterea intumescentia et ulceratio, lienis nimia expansio seu minutio, collectiones serosae in cavo abdominis, systema venae portarum sanguine spisso nigroque impletum. E quibus signis nullum vero est constans.

AETIOLOGIA.

Dispositionem hypochondriacam aetate virili imprimis acquiri jam supra dictum est. Quae autem dispositio interdum hereditaria et connata esse potest (1) i. e. generatio et prima corporis evolutio cum certis quibusdam conditionibus conjunctae esse possunt, quae postea origini mali favent. Intemperies (2) enim systematis nervosi a parentibus in infantes propagatur. Itaque homines et plerumque quidem, qui, vitae elegantiori dediti, cultiori hominum ordini adnumerandi sunt, a parentibus debilibus et sensibilibus nati cum constitutione sensibili erethica facile hoc malo profligantur. Ex temperamentis melancholicum ante omnia ad morbum hypochondriacum praedisponit. In melancholicis enim phantasia mentem superat et libentissime sensibus gravioribus tristibus sese dedit; unde transitus ad hypochondriam non difficilis.

Sin causas occasionales memoratu dignissimas respicio, non mirum mihi videtur nostris temporibus malum hypochondriacum magis magisque augeri, correptorumque numerum indies crescere. Primum, quae in corpus vim exercent causae, contemplemur. Victu enim incongruenti jam saepe infantili aetate hypochondriae fundamentum ponitur, quum infantulis nostris temporibus alimentum, natura ipsa iis destinatum, lac maternum, raro concedatur. Sed dantur iis nutricum mammae, dummodo conditionibus, quae ad bonam nutritionem requiruntur, satis fiat. Nutri-

---

(1) Reils Fieberlehre IV. B. p. 69.
(2) Fr. Hoffmann l. c. p. 225.

ces vero mercede conductae non raro vitiis corporis vel animi laborant infantulisque nutrimentis quasi defraudant. Tunc autem saepe parentes, nimie de infante solliciti, eum nunquam satis curari posse credentes et praecipue refrigerationem metuentes, infantem diligentissime ab omni aëris contactu anxie defendunt, nescii aëre libero detracto et nimio calore nimiam cutis sensibilitatem et dispositionem ad omnes morbos, qui refrigerationi originem debent, oriri. Contra, ut saepius fit, parentes et imprimis mater parum de infantibus sollicita, curam infantis hominibus committit mercede conductis. Ita infantes, temperaturae vicissitudinibus aliisque malis conditionibus expositi alimentisque saepe crudioribus, quae organis digestionis tenerrimis non quadrant, nutriti, incremento corporisque vegetatione deficiunt. Educatio mollior, qua omnino debilitas augetur, sequitur. Cibi, quibus nostris temporibus utimur, copiosis aromatibus conditi sunt, quo accedit spirituosorum abusus praecipue in adolescentibus, qui jam a matutino tempore tabernas vinarias, cerevisiarias easque in quibus spiritus frumenti praebetur frequentare consueti, illos potus partim propter gratum saporem, nonnunquam vero ex sola ebriositate et graeco quidem more non raro magnam simul quantitatem ex majoribus poculis bibunt. Quibus illecebris appetitus nimis excitatur, cibique justo copiosius ingeruntur. Sic saepe ebrii refertoque ventre, die saepe jam illucente, ad somnum profecti, in multum diem lecto tenentur. Quod vivendi genus maximas tandem molestias, quae ad concoctionem et assimilationem pertinent, afferre et ad hypochondriae causas graviores numerandum esse nemo negabit. Nec minus et liquorum calidorum frequens usus, uti nimius theae, coffeae etc. potus,

gravioris momenti propter vim debilitantem ad formandam hypochondriam. Huc referenda sunt ut omnino usus cibi et potus immodicus et contra nimis parcus, ita multa esculenta digestu difficilia, uti legumina, farinea nimis pinguia, fumo indurata, quae minus nutrientia ventrem inflant; tum potus non rite fermentati. Porro abusus nicotianae nostris temporibus causa hypochondriae non rara esse videtur. Plurimi, qui ne vix adolescentiam quidem attigerunt, plerumque tantum quod speciem inde virilem praebere opinantur, fumum nicotianae per fistulam sugunt. Secretione muci tum adaucta, corpori omnino vires detrahuntur, turbataque concoctione, obstructionibus ventris causa suppeditatur.

Etiam vestimenta incongrua praesertim justo arctiora, quibus organorum abdominis pressio, motus peristalticus et circulatio sanguinis impedita, causa exsistit. Cutis tunc cura neglecta non omittenda est. Permultum in hypochondria procreanda aër depravatus valet, quo quantopere animalium valetudo dependeat, jam ante multa saecula Hippocrates, pater medicinae, aërem esse pabulum vitae locutus, recte dijudicavit. In regionibus humidis, paludodis, nebulosis, in terris maritimis, ut unum tantum exemplum afferam in Anglia saepissime observatur morbus. Vita sedentaria plurimos hypochondriacos reddit. Imprimis igitur inter literis nimio studio imbutos propagatum est malum; qui, dum corporis exercitationes negligunt, abdomine compresso libris assident et in legendo et scribendo continuo versantes, vires ventriculi digerentes imprimis debilitant, appetitum perdunt et multis iisdemque malis affectionibus pessumdantur, donec hypochondria vitae maxime inimica lente abrepat. Hoc hominum genus,

ut quod ad corporis cultum nimis neglectum, ita propter animi cultum nimis elatum, omnium maxime hypochondriae periculo subjectum esse postea demonstrabimus. Eadem sorte alii quoque homines, ad sedentariam vitam coacti, premuntur, scribae, mercatores; inter opifices sartores, textores hypochondria saepissime afficiuntur. In his enim complures omnino causae simul exsistunt, ut pectoris atque abdominis compressio et motus corporis simul deficiens. Abusus medicamentorum praeprimis purgantium excitantiumque, quibus, quum justa nervorum temperies mutetur, hypochondriacus morbus jamjam excultus alitur saepe atque augetur (1).

Somnus quoque et nimius et nimis parcus hypochondriaco morbo ansam quoque praebere potest. Somno enim nimio vires nervorum quasi detrahuntur, facultates animi hebescunt, et functiones cerebri organicae turbantur. Longae autem vigiliae incitabilitatem quidem nervorum augent, vitalitatem tamen toti organismo detrahunt, imaginationem morbose excitant, ita ut mentis quoque perturbationes inde oriri possint (2).

Itaque, cui propter opportunitatem hypochondria minatur, somno maturo sese committat et prima luce surgat necesse est. Non pauci hypochondriae subjiciuntur excessibus in venere praematuris et praesertim onania, qua corporis animique vires ita debilitantur, ut mens sanaque ratio tandem omnino obscurentur, corpus vero in summam lassitudinem atque defatigationem infundatur. Quibus re-

---

(1) Reil, Fieberlehre IV. B. p. 73.
(2) Kant, Anthropologie p. 90.

bus aperiendis Tissot imprimis operam navavit, et quamquam pretii sane nimis magni hanc causam aestimasse eum constat, tamen ejus in hac re verba minime contemnenda esse credo. Neque vero totalis a venere abstinentia praecipue in iis, qui spermatis plethora gaudent, quin idem malum procreare possit, quis dubitet? Naturam enim legum suarum oppressionem negligentiamque graviter vindicare neminem fugiet.

Varii alii morbi huc spectant ad procreandam hypochondriam. Morbi acuti et chronici, conditionibus ceteroquin faventibus, imprimis si praemature et imperfecte sanantur; athritis anomala, scrophulae, vitia organica capitis, pectoris, praesertim in visceribus abdominis assimilationi et secretioni inservientibus, stagnationes sanguinis in vena portarum, sordes primarum viarum, vitia genitalium, calculi biliosi, renum, vesicae urinariae; lues venerea, evacuationes habituales suppressae, ut haemorrhoides, ulcera chronica, exanthematum praeprimis chronicorum varium genus etc.

Nunc vero ad momenta disponentia progrediamur psychica, quae paene majoris sunt momenti, quam ea corporis, de quibus antea diximus. Jam huc maxime referendi sunt literarum studiosi, mentis occupationibus nimis dediti. Studium enim literarum elegans, dummodo corporis exercitationes non negligantur, omnino quidem sine turbatione functionum vitalium exsistere, quin imo sub certis conditionibus saluberrimam vim in corpus et vegetationem exercere posse, jam ex vetustissimis temporibus notum est. Sin vero homini discendi cupido literarum sublimitas tanta videtur, ut, vitae reliquis amoenitatibus despectis, ab omnibus stimulis jucundioribus tam

physicis quam psychicis abstineat, intemperies cerebri oriatur, sensus communis abalienetur et dispositio hypochondriaca inducatur necesse est. Omnino tunc inter hypochondriae fontes ponendi mihi videntur affectus deprimentes praesertim metus, qui facultatem judicandi perturbat et saepe ideas perversas de morbis vitaeque periculis gignit. Sic species quaedam hypochondriacorum invenitur, quae originem ducit ex metu morborum epidemicorum et contagiosorum, cui generi adnumeranda est exempli gratia hypochondriasis syphilitica sic dicta. Tristitia, moeror, curae et sollicitudines effectus similes habent. Terrore, imprimis siquidem singulae organismi functiones nonnunquam derepente supprimantur, opportunitas hypochondriaca nascitur. Quae vero opportunitas terroribus injectis etiam augetur, quare jamjam aegrotis hypochondriaque laborantibus ab omnibus hujuscemodi affectionibus sedulo cavendum est. Amor infelix nominandus est, nec raro ambitio, cui parum aut omnino non satisfactum est, spes, quae hominem fefellit etc. Magni etiam sunt momenti negotia, quibus animus non plane occupatur, quo phantasiae perpetuus locus conceditur ad formandas uberiores sibi imagines, quam quibus ipsa vita respondere possit. Saepe mali evolutio acceleratur eo, ut vivendi ratio subito mutetur, si cum vehementia ab uno extremo ad aliud oppositum alternant animi motus, hominem modo huc modo illuc agitantes. Ita, si quis, labori et intentionibus sive corporis sive animi consuetus, subito omnibus curis solutis, quieti se dat, hypochondriae ne praeda fiat, provideat. Postremo genus hypochondriae proferre mihi liceat, quod imprimis Andral contemplationi dignum esse censuit et quod eo oritur, ut homines, judicio

quod ad res medicinales cognoscendas non satis dilucido atque exculto praediti atque in medicinae theoria non satis aut omnino non versati, huic literarum studio operam dent librisque, in quibus ars nostra tractatur, incumbant. Omnibus enim morbis, de quibus legunt illi, sese laborare persuasi sunt, si vel minima relatio ad ipsorum valetudinis statum descriptionibus lectis inest.

Hae sunt fere causae occasionales eminentissimae, quae frequentes passionem hypochondriacam proferunt, alunt atque exasperant. Quaeritur nunc, quae sit causa proxima hujus morbi corpori mentique pari modo inimici? Quum ab antiquissimis temporibus tot medici sagacitate atque circumspectione maxima, tot philosophi sapientissimi internae hypochondriae naturae enucleandae incubuerint, quin scopum petitum nacti fuerint, mihi discipulo et tironi certe nulla spes suppeditat, quod medicinae magistris parum successit. Itaque brevibus verbis mihi tantum proferre liceat, quid viri illi, quorum auctoritas in medicina maxima, de hac re censuerint. Antiquissimi medici atram bilem, quae, si viscera in regione hypogastrica obsidet, aegrotum maxime infestat, hypochondriae causam habuerunt. Fr. Hoffmannus proximam mali causam in vitiis lienis, Stahlius autem in stagnationibus sanguinis venae portarum collocavit. Alii ventriculi tractusque cibarii functiones laesas vitiosasque inculpaverunt. Ita Ettmuellerus, Wedelius, Conringius motum peristalticum tractus cibarii perversum accusaverunt, Vogelius vero imprimis debilitatem organorum digestioni inservientium peccare censuit. Pommerus spasmum et acorem fluidi nervei, Cullenius, Hildenbrandius atque Dreissigius concoctionem atque assimilationem justo tardiorem et cum metu

atque tristitia sociatam causam esse proximam dijudicaverunt. Sydenhamus et Fraccasinius causam proximam hypochondiae in inertia spiritus nervosi posuerunt. Secundum Zimmermannum auctorem hypochondria imprimis in diminutione actionis nervorum sensiferae constare videtur, quae, desoxydatione sanguinis nimis adaucta, praesertim in iis systematis nervosi regionibus nascatur, in quibus processus desoxydationis maxime praevaleat. Reilius hypochondriam in alienatione sensus communis, ex nimia cerebri omniumque nervorum praesertim autem abdominalium incitabilitate profecta, ponendam esse censet, quo statu aegroto major valetudinis debilitas, quam quae revera sit, probetur. Weberus et Seboldus morbum hypochondriacum ab aucta nervorum imprimis abdominalium sensibilitate, unde incitabilitatis mutationes in regione hypogastrica exoriantur, deducunt. Denique P. Frankii sententia, quae generaliter pronuntiata est (1), morbum hypochondriacum esse affectionem diuturnam organisationis imprimis nervorum et organorum abdominalium, haec virorum perillustrium dicta concludat. E quibus, imprimis P. Frankio auctore, cujus sententia et ad formam et ad symptomata morbi pertinet, elucere videtur atque in definitione jam antea dictum est, hypochondriam esse intemperiem cerebri et systematis nervosi praesertim nervorum abdominalium, qua sensibilitas quidem adaucta, facultas vero reagendi, seu energia, imminuta sit.

Ab antiquissimis temporibus magnum est discrimen, utrum Hypochondria et Hysteria morbi sint vere diversi, nec ne? Neque tamen propter loci angustias argumenta,

---

(1) P. Frank, de curand. hom. morb. lib. VII. p. 106.

quibus utraque sententia defensa est, comparare vel de iis deliberare mihi licet. Qua de re meam sententiam, in thesibus collocatam, contra oppugnatores semper sum defensurus.

PROGNOSIS.

Prognosis hypochondriae iis, quae in decursu atque exitu morbi dicta sunt, maxime continetur, et ex illis jam satis elucet, nec nimis nec etiam minime periculosa habenda est. Ardua praesertim est prognosis, quod medicus sensationibus atque judiciis aegrotorum, quae alias interdum subveniunt, fidem dare nequit. Saepe enim sensibus, cogitationibus et perceptionibus aegroti perversis turbatur atque fallitur medicus. Quamquam in genere vitae periculum in hypochondria minus est, tamen pro natura et gradu morbi ipsius prognosis differt. Jam ob ipsam mali diuturnitatem magnamque molestiam non inter morbos leves numeranda est. Maxime vero timendi sunt exitus illi infausti, quos antea descripsimus, et quibus vitia organica gravissima et diversissima exoriri possunt; quae, si aut difficillime aut omnino non removeri possunt, ut calculi fellei, renum, hydatides, indurationes, scirrhi, morbi tabifici et hydropici, prognosin provocant pessimam. In prognosi, quod ad animum, melancholia et perturbationes mentis insanabiles semper metuendi sunt. Quilibet vero morbus hypochondriacus, cui causa materialis non subest, prognosin meliorem admittit, quam materialis, quare difficile quoque sanatur hypochondria, si athritidem

inveteratam aliosque morbos perverse tractatos sequitur, vel cum illis complicata est.

THERAPIA.

De therapia hypochondriae, ne hujus opusculi fines transeam, pauca tantum differam.

Spes sanitatis restituendae in hoc malo in eo posita est, ut medicus duplicem illam morbi speciem, et quae ad corpus pertinet, et quae animum attingit, una diagnosi et curatione cognoscat et utrique simul operam dat. Quodsi medicinam cum anthropologia ingeniose et sapienter conjungit; medicinamque non minus physicam quam psychicam adhibet, eo certiori fide exspectare potest, fore ut prospero eventu utatur.

VITA.

Ego Ludovicus Liepmannus Löwenberg, veteris testamenti fidei addictus, Potsdampii natus sum anno MDCCCXVII patre Isaac, matre Joanna e gente Liepmann, quos parentes adhuc incolumes mihi servavit servetque Deus. Parentum sede Primislaviae postea collocata, Gymnasium, quod ibi Celeberrimo Paalzow directore floret, septem per annos frequentavi. Inde, maturitatis testimonio ornatus, anno MDCCCXXXVII Berolinum ad almam Fridericam Guilelmam me contuli; ubi a rectore magnifico t. t. Ill. Boeckh in numerum civium

academicorum receptus et a Decano spectatissimo Ill. Wagner in album gratiosi medicorum ordinis inscriptus hisce interfui lectionibus:

Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schultz de botanice, zoologia et mineralogia; Ill. Hecker de medicinae encyclopaedia et methodologia; Ill. Gabler de logice; Exper. Isensee de psychologia; Cel. Dove de physice; Ill. Schlemm de osteologia et syndesmologia; Ill. Joa. Mueller de anatomia generali et speciali, de anatomia sensuum, de physiologia et de anatomia compar. In arte cadaverum rite secandorum duces mihi fuerunt Ill. Schlemm et Ill. Müller. Ill. Osann de materia medica; Ill. Caspar de pathologia et therapia speciali; Exp. Dann de pathologia et therapia generali nec non de morbis cutis; Beat. Rust de chirurgia generali et speciali; Cel. Romberg de nervorum morbis; Exp. Troschel de arte fasciarum applicandarum; Cel. Kluge de arte obstetricia. Exercitationibus clinicis

medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum Wolff, Truestedt, Schoenlein, Juengken, Kluge.

Quibus omnibus viris maximas, quas possum, habeo gratias.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Hypochondria et Hysteria sunt morbi diversi.
2. Morbos locales existere nego.
3. Naturae vis est remedium optimum.
4. Plenus venter studet libenter.
5. Gravida non semper legibus constitutis judicanda est.